



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens Psalmos à 126 ad 150

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, 1765**

**VD18 15558428-001**

Psalmus CXXXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53443](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53443)

& conatus impedires; & sic *salvum me fecit* potentia, & virtus tua, quæ est Christus.

*v. 9. Dominus retribuet pro me, Domine misericordia tua in seculum, opera manuum tuarum ne despicias.*

Explicat modum, quo *dextera Domini salvos nos facit*. Dominus, qui est *dextera tua*, retribuet tibi Deo Patri pretium pro peccatis meis, & inimicis meis vindictam: *Domine misericordia tua in seculum* durat, seu finem non habet; ideo peto, ut opera, quæ tu misericorditer inchoasti, inspirans fidem, spem, & charitatem, non deseras, sed conservando, augendo, perficiendo consummes.

### PSALMUS CXXXVIII.

**T**itulus: *In finem Psalmus David*. Titulus hic jam sæpe alias explicatus est ab initio Psalterii.

Argumentum *Psalmi* controvertitur; probabiliter voluit David admonere genus humanum, Deum esse magnum remuneratorem operum bonorum, & malorum contra severum Judicem; atque ut illud per-

suadeat, prolixè disputat de Dei scientiâ, quâ exactissimè, & profundissimè novit omnia nostra, naturam, opera, verba, cogitationes.

*ψ. 1. Domine probasti me, & cognovisti me, tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam.*

Loquitur David de se, & in personâ generis humani. Tu Domine non es contentus quâcunque cognitione rerum nostrarum, sed voluisti accuratissimè cognoscere, ut faciat, qui examinant, & probant; & re ipsâ accuratissimè cognovisti me. Hoc dictum generatim tum explicat: Tu cognovisti ab æternitate, quando, quomodo, & quâ de causâ sedere, vel surgere deberem; nec solùm corporaliter, sed & moraliter, h. e. quando, cur, & quomodo humiliandus, vel exaltandus essem. Et hæc multò magis novit de Christo, capite omnium hominum, & Angelorum; unde Ecclesia in die Resurrectionis hunc *ψ.* recitat.

*ψ. 2. Intellexisti cogitationes meas de longè, semitam meam, & funiculum meum investigasti.*

Nec

Nec solùm cognovisti exteriora nostra, humiliationem, & exaltationem, sed & interiora: nam multò antè, quàm cogitare inciperem, tu nôsti, quid essem cogitaturus; item nôsti progressum meum, itinera mea, tum corporalia, tum multò magis spiritualia, h. e. consilia, & deliberationes; item nôsti finem, & metam, ad quam perventurus essem; quam hæreditatem, quam quietem assecuturus. In summâ, ab æterno intellexisti principia, media, & finem actionum mearum. Funiculus in scripturâ significat hæreditatem, possessiones, quæ funiculis dividebantur.

¶. 3. *Et omnes vias meas prævidisti, quia non est sermo in lingua mea.*

Dixerat, Deum prævidisse cogitationes, consilia, eventus; nunc addit generatim omnes alios motus: Prævidisti omnes alios motus meos usque ad verba inutilia, & otiosa; *quia non est sermo in lingua mea*, supple, quem tu non prævideris. Omnia igitur Deus tempore suo in iudicium adducet.

*ψ. 4. Ecce Domine tu cognovisti omnia  
 novissima, & antiqua: tu formasti me, &  
 posuisti super me manum tuam.*

Duobus argumentis demonstrat Deum  
 omnia scire. *Ecce tu cognovisti omnia  
 futura in diebus novissimis, & præterita  
 ab antiquissimo tempore. Igitur exactè  
 scit etiam actiones humanas, quæ inter  
 creata non ultimum locum obtinent.  
 Tu præterea formasti me, fecisti homi-  
 nem, regis, conservas; aliàs in suum ni-  
 hilum rediret.*

*ψ. 5. Mirabilis facta est scientia tua  
 ex me, confortata est, & non potero ad eam.*

Etsi nobis certum sit, dari in Deo sci-  
 entiam omnium, ipsa tamen nobis incom-  
 prehensibilis est, præsertim quomodo  
 prævideat futura libera, quæ pro arbitrio  
 hominis possunt esse, & non esse, ut co-  
 gitata, desideria, verba, & pleraque  
 opera. Ait igitur: *Mirabilis, h. e. mi-  
 rabilior facta est scientia tua, quàm ut  
 ego eam possim assequi. Tum idem con-  
 firmat: Confortata est, prævaluit adver-  
 sùm me, sive altiùs elevata est, quàm ut  
 ego eam apprehendam.*

*ψ. 6.*

¶. 6. *Quò ibo à spiritu tuo? & quo à facie tuâ fugiam?*

¶. 7. *Si ascendero in Cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.*

¶. 8. *Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris.*

¶. 9. *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.*

Alio argumento ostendit, neminem esse, qui possit latere scientiam Dei, quia videlicet Deus ubique est, & omnia penetrat. *Quò ibo, & quò fugiam, ut à tuâ mente, & intelligentiâ abscondar? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in profundum abyssi longissimè à Cælo situm, ibi quoque tu idem ipse ades. Si dentur mihi pennæ, & manè surgens velocissimè fugiam ab oriente, & habitem in ultimo Occidente, non tamen effugere te potero: nam manus tua deducet me, & tenebit me, quia sinè tuo auxilio moveri non possum.*

¶. 10. *Et dixi, Forsitan tenebræ concubabunt me; & nox illuminatio mea in deliciis meis.*

*v. 11. Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.*

Objicit ipse sibi: Forsitan tenebræ densissimæ operient me, & sic effugiam oculos Dei. Et respondet, id fieri non posse: nam nox respectu oculorum Dei non est nox, nec obscura, sed illuminabit, & patefaciet me, in deliciis meis impuris versantem. Tum idem clariùs repetit: quia tenebræ non obtenebrescent apud te; & nox non erit obscura, sed velut lucida dies: perinde est apud te, sive sint tenebræ noctis, sive lumen diei, quia non minùs vides in tenebris noctis, quàm in luce diei.

*v. 12. Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de utero matris meæ.*

Probat, Deum in tenebris videre. Hinc apparet, tibi perinde esse tenebras, & lucem, quia tu formasti, & formando tuos effecisti *renes meos*, partes scilicet secretas, & absconditas, ubi est sedes internæ cupiditatis; proinde affectus mei, & desideria mea in manu tua sunt: nec solum *renes meos*, sed me totum in ute-

ro latentem suscepisti formandum, & fovisti formatum.

*Ps. 13. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.*

Interrumpit narrationem de opificio humano per Apostrophem ad Deum, & admirans magnitudinem scientiæ, & sapientiæ Dei in hoc opere, ait: *Confitebor tibi confessionem laudis, quia terribiliter terrore admirationis, & reverentiæ magnificatus es.* Admiranda sunt opera tua in formatione hominis in utero matris tam obscuro; & anima mea valde fataget cognoscere magnitudinem horum operum tuorum.

*Ps. 14. Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus terræ.*

Redit ad scientiam, & sapientiam Dei in opificio humano. Non latet scientiam tuam ossatura mea, ut sic loquar, h. e. qualia, & quàm multa ossa lateant intra carnem humanam, quia tu ipse ea fecisti, & quidem in occulto, nempe in utero matris, & intra pellem, & carnem nostram. Tum idem reperit: non est



est occultata à te substantia corporis mei, etiam adhuc latens in profundo utero, ut metallum in visceribus terræ.

*N. 15. Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.*

Pergit in eadem scientiâ Dei: Corpus informe, embryonem, in quo nondum apparet forma, & distinctio membrorum, oculi tui viderunt, & cognoverunt, quid inde fieri deberet, & quò evasurum esset: nam habes apud te exemplaria, sive ideas omnium, ut pictor, vel sculptor scit, ex informi materiâ, quid futurum sit, quia videt exemplar. In dies formabuntur informia corpora, & perducentur ad perfectionem suam, ut in exemplari relucet. *Et nemo in eis, supple, deerit, vel, ut est in Hebræo, nihil in eis deerit.* *Nota:* illud *dies*, ut patet ex græco, est in accusativo, ut sensus sit *in dies*. Novit etiam Deus imperfectum nostrum quoad animæ doctes, sapientiam, prudentiam, virtutes, gratiam, gloriam; nos scil. nihil esse, nisi massam informem; sed juxta descriptionem in libro vitæ, in dies formamur,

mūr, & perficimur, donec efficiamur conformes imagini Filii Dei, & configuremur corpori claritatis ejus. Atque ad hanc perfectionem tam excellentem corporis, & animæ, ad quam ex tantâ imperfectione perducuntur amici Dei, respiciens Propheta, exclamat id, quod sequitur:

*ψ. 16. Mibi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*

Meo judicio, valde omnino, & suprâ, quàm intelligam, *honorificati sunt amici tui, Deus*, valde omnino roboratus est, & stabilitus principatus eorum: nam educti ex massâ perditionis, & captivitate Dæmonis, facti Angelis æquales, & Christi cohæredes, transferuntur ad Regnum æternum.

*ψ. 17. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur, exurrexi, & adhuc sum tecum.*

Docet, principatum amicorum Dei confortatum esse ex eo, quòd brevi mirificè sit auctus. Conabor numerare amicos Dei, qui principatu fruuntur, vel subditos eorum, & præ multitudinē  
 nume-

numerare non potero, quia plures erunt, quàm grana arenæ in littore maris. Ex cognitione tam ingentis gloriæ amicorum Dei, *surrexi* per amorem, & desiderium in te, & adhuc tibi inhæreo, cupidus perseverandi usque in finem.

ŷ. 18. *Si occideris Deus peccatores, vivi sanguinum declinate à me.*

ŷ. 19. *Quia dicitis in cogitatione, accipient in vanitate civitates tuas.*

Optaverat amicorum Dei consortium, jam Dei inimicorum amicitiam recusat. Si tu Deus justo tuo iudicio, ut probos honorificabis, & exaltabis, ita peccatores reprobabis, & damnabis: ego nolo istorum consortium, ideo dico vobis impiis: *Vivi sanguinum, animarum occisores, declinate à me: quia cogitatis apud vos, & in corde vestro dicitis: iusti civitates Dei frustra accipient, quia brevi auferemus ab eis.* Hæc referuntur ad dicta ŷ. 6. quia scilicet per propagationem Ecclesiæ, infidelium ad fidem conversionem, & impiorum ad iustitiam, civitates, h. e. cætus plurimi ablati fuerant à Dæmonum servitute, & Idolo.

Idololatrarum Dominio; ideo dicebant  
impii, qui reliqui erant, in corde suo,  
invidentes propagationi Regni Christi,  
*Accipient in vanum civitates,* quia spera-  
bant, brevi fore, ut eas recuperarent.

¶. 20. *Nonne qui oderunt te Domine,  
oderam: & super inimicos tuos tabescebam?*

¶. 21. *Perfecto odio oderam illos, &  
inimici facti sunt mihi.*

Qui evigilavit in Deum, & illi pleno  
corde adhæsit, nihil mirum est, si profi-  
teatur se odisse eos, qui Dominum ode-  
rant; & si tabescebat ex tædio, & dolo-  
re, cùm videbat offendi ab impiis Do-  
minum suum. Illud, *Perfecto odio,* re-  
fert S. Aug. ad virtutem charitatis, quæ  
diligit personas, & odit iniquitatem.  
Unde subdit: non ego illis, cùm eos di-  
ligam, & emendari cupio, sed illi *mibi  
facti sunt inimici,* qui oderunt increpa-  
tionem, & converti ad justitiam nolunt.

¶. 22. *Proba me Deus, & scito cor  
meum: interroga me; & cognosce semitas  
meas.*

¶. 23. *Et vide, si via iniquitatis est  
in me, & deduc me in via æterna.*

Quod

Quod *ψ.* i. dixerat, Deum fecisse, nunc ipse rogat, ut faciat, h. e., ut pergat scrutari, & eximinare cor, & semitas ejus, h. e. cogitationes, desideria, progressus, & actiones, ejus. Finem verò scrutationis esse cupit, ut, si Deus videat in ipso viam iniquitatis, quæ ducit ad acquirenda temporalia; abstrahat eum indè, & deducat in viam æternam, h. e. ad ea cogitanda, desideranda, facienda, quæ pertinent ad bona æterna.

## PSALMUS CXXXIX.

**T**itulus: *In finem Psalmus David.*

*Recentiores secuti Theodoretum, Psalmi hujus argumentum esse docent precationem Davidis adversus Saulem Regem, & ministros ejus. Sed veteres P. P. Hieron. Chrysof. Aug. argumentum esse volunt, precationem corporis Christi adversus Diabolum, & satellites, iniquos homines, ut probat S. Hilarius.*

*ψ. i. Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me.*

*Christus loquitur, juxta Hilarium, in personâ suâ, & membrorum suorum:*

*Eripe*